



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

Decretalivm D. Gregorii Papæ IX. Compilatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)



DECRETALIVM D. GREGORII PAPÆ IX. COMPILATIO.



REGORIVS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis doctoribus & scholaribus universis, Bononia^b commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

REx pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pacificos, pacificos, & modestos.

Sed effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis amula, mater litium, materia jurgiorum, tot quotidie nova litigia generat, ut nisi iustitia conatus ejus sua virtute reprimeret, & questiones ipsius implicatas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudiî concordia extra mundi terminos exlaret. Ideoq; lex proditur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum ut honestè vivat, alterum non ledat, jus suum unicuiq; tribuat, informatur. Sanè diversas constitutiones, & decretales epistolas prædecessorum nostrorum, in diversa dispersas^c volumina, quarum aliqua propter nimiam similitudinem, & quedam propter contrarietatem, nonnulla etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur: aliqua verò vagabantur extra volumina suprãdicta, & quæ tanquam incerte frequenter in judiciis vacillabant. Ad communem, & maxime studentium utilitatem, per dilectum filium fratrem Raymundum capellanum & penitentiarium nostrum, illas in unum^d volumen (refecatis superfluis^e) providimus redigendas, adjicientes constitutiones nostras, & decretales epistolas, per quas nonnulla^f quæ in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis & in scholis, districtè prohibemus, ne quis præsumat aliam facere, absq; auctoritate sedis apostolicæ specialis. ^g

^a Titulus hujus libri in manuscriptis vetustissimis ita habet, Incipit compilatio Decretalium Divi Gregorii Papæ IX. ^b In uno manuscripto Vaticana legitur Parisiis, in altero Bononia & Parisiis, sed ut plurimum omnes habent, Bononia. ^c al. sparsas. ^d Text. in l. i. c. de nov. cod. fac. & l. 2. §. si quid autem in tanta. C. de vob. jur. en. ^e Interdum & utilib. quod & de Triboniano dicitur, qui fuit Raymundo isto doctior. ^f Multa. ^g Data fuit hæc epistola anno Christi 1230.